DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
HÆMORRHAGIA UTERI,

QUAM
EX CONSENSU INCLYTÆ
FACULTATIS MEDICÆ
ANGLIPOLITANÆ
PRO
DOCTORALI
LAUREA
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS
AC PRIVILEGIIS RITE CONSE-
QUENDIS
PUBLICÆ DISQUISITIONI
SUBMITTIT

JOSEPHUS SAAL
GEISLHÖRINGANUS BOJUS.

Die 7 Mensis Julii. MDCCLXXXIII.

ANGLIPOLI
TYPIS SEBASTIANI HABERBERGER UNIVERS. TYP.

Cum approbatione inclytæ Facultatis medicæ facta 26ta Junii 1783.

LURIMUM REVERENDO,

PRÆNOBILI,

CLARISSIMO, AC DOCTISSIMO

DOMINO

IGNATIO

DE

VAGNER,

J. U. DOCTORI,

INSIGNIS ECCLESIÆ COLLEGIATÆ

AD S. JOANNEM BAPTISTAM

RATISBONÆ

DECANO

DIGNISSIMO,

NEC NON

VERENDISSIMI ET CELSISSIMI PRINCI-
PIS ET EPISCOPI RATISBONENSIS CON-
SILIARIO ECCLESIASTICO ACTUALI,

OMINO AC PATRONO SUO

GRATIOSO, AC COLENDISSIMO,

PERPETUAM GRA-
TITUDINIS MEMO-
RIAM

D. D. D.

Auctor.



DE HEMORRHAGIA UTERI.

Inter varias ſanguinis deperditiones memorabilior inter cæteras ferme ea eſt, quæ per uterum fit: *hæmorrhagia* vero uteri, ſeu *hyſterohæmatorrhœa* ea ſanguinis protruſio dicitur quæ impetuoſe ac torrentis inſtar erumpit.

Dividitur: a) in eam, quæ gravidis b) quæ non gravidis accidere poteſt. Hic loci de priori ſpecie agendum erit.

 Spe-

Species hæc denuo dirimitur in ſanguini uterini evacuationes, quæ a) ſub *graviditate* b ſub *partu* c) *poſt partum* evenire queunt: qu iterum ſubdividuntur a) *in naturales* & b) *in præ ternaturales. Naturales* dicuntur, quæ commun & ordinaria lege ob ſejunctionem placentæ par tum quemvis comitantur, & copiam unc. VI circiter non excedunt: *poſteriores* ſunt, quæ co piam hanc magis, minusve exſuperant.

DE CAUSIS HÆMORRHAGIÆ UTERI.

C*auſæ* ſanguinis ex utero profluviorum in *pro ximas*, & *remotas* abeunt.

Proximas conſtituunt:

I. Solutio præmatura ſecundinarum, ſive ſub partu, ſive diu ante, ſive demum poſt eun dem accidat: intelligo enim illam unice ſolu tionis hujus conditionem, ſi fiat, antequam ute rus ſeſe contraxerit.

II. Ruptura uteri.

III.

III. Ruptura funiculi umbilicalis vel totius, vel vasis solum illius peculiaris.

Remotæ sunt:

I. Plethora:

II. Atonia uteri:

III. Motus sanguinis acceleratus:

IV. Impedita ob plethoram uteri contractio, soluta simul placenta:

V. Adhæsio placentæ fortior; ob inæqualem uteri contractionem parte solummodo illius ab utero abscedente.

VI. Uteri, ob spasmos jam inæqualis contractio, jam expansio; dum motum piscis aquæ innatantis manui uterus tactus obfert:

VII. Placentæ supra os uteri accretio:

VIII. Sanguis ob billiosam, aut putridam saburram, æstivo imprimis tempore magis, minusve solutus.

Solutio præmatura secundinarum a variis caussis evenire potest; ad quas imprimis reducuntur omnia, quæ motum accelerare queunt c. 9.

alimenta, vel medicamenta ſtimulantia, calefacientia, ecbolica; animi pathemata, violentia externa, motus corporis magnus; concuſſiones validæ, plethora.

Ruptura uteri procedit vel ab extenſione nimia illius paullatim aucta vel motu validiori infantis vel violentia externa, lapſu, percuſſione vel & vitio obſtetricantis.

Ruptura funiculi umbilicalis evenire poterit, dum vitio conformationis nimis brevis vel circa collum, aliamve corporis partem infantis circumvolutus eſt.

Ruptura vaſis peculiaris funiculi maxime oritur, quod varicoſus ſit: varix autem rumpi valet vel ob cauſas rupturam varicum ubique producentes, vel accedente inſuper tenſione ſub laboribus partus.

Monendum denique adhuc venit, ſub partu ob vehementiam dolorum, facilius autem per forcipem, funiculum umbilicalem nimis brevem vel abrumpi poſſe ex integro, *) vel vas

*) Levet. ſuite des obſervat. p. 187.

vas ejus peculiare lacerari **) : unde matri æque ac infanti funeſtæ hæmorrhagiæ naſci queunt.

Atonia uteri vel a conditione corporis univerſi vel ab extenſione uteri protracta, nimia, præſentibus v. c. gemellis, aut infante majori, aut aquæ magna copia producitur.

Per inæqualem uteri contractionem vel placenta integra vel facilius, pars ejus abrupta, ceu intra ſaccum includi poteſt, dum baſi uteri magis deſcendente, loco vero lateris, cui adnata placenta, minus obſequente, receptaculi ſpecies enaſcitur, placentam ex integro vel partim ambiens. Exempla talia Cl. *Levret* ſuite des obſervat, p. 127. & Cl. *Mohrenheim* obſervarunt.

DE CURA.

Fuſior eſſem, ſi pro qualibet cauſa, quæ tam multiplex eſſe poteſt, ſpecialem medendi methodum enarrare vellem, ſufficit ſcire, quod omnis cura ſit accomodanda cauſis. Sunt tamen cauſæ, quæ ſingularem attentionem meren-

**) La motte obſervat. 207.

rentur, de quibus, quomodo apte tolli posſint, plura dicam. Exponam ſimul & remedia ſic dicta ſpecifica, in quibus adhibendis tanti errores comittuntur; oſtendam, in quantum exhiberi mereantur, in quantum prodeſſe, aut nocere queant.

Si plethoricus adſit corporis habitus, venæ ſectio in brachio inſtituatur, atque ſi judicium id exigere videatur practicum, repetatur, interne autem antiphlogiſtica dentur, tunc & extremitates faſciis ac ligulis vinciantur. Artuum autem ligaturæ, ſedata hæmorrhagia mox denuo ſolvendæ, ac ſanguis ab ipſis earum extremitatibus verſus corporis truncum manuum frictione promovendus: quo facto ægræ citius multo ac facilius ad ſeſe denuo redibunt.

Uterus inflammatus ægerrime contrahitur, atque ſolutio placentæ ideo non promovenda; alias enim major naſcitur in utero irritatio, ac, cum contrahere ex integro ſe non poſſit, hæmorrhagia excitabitur. Hinc v. ſ. indicantur, clyſmata emollientia, injectiones ſimiles in uterum, cataplaſmata emollientia abdomini

adplicanda: usu interno remedia antiphlogistica.

Si placenta partim soluta, partim adeo firmiter adhæreat, ut contractionem impediat vel dolorificam valde reddat, reliqua pars adhærescens solvenda hic non erit, quum alias inflammatio magna oriatur, nisi hæmorrhagia valde magna fuerit; ceterum melius est, si solutio reliquæ partis naturæ comittatur, Si autem solutio placentæ nulla ratione succedere videatur, injectiones emollientes per vaginam fiant, cataplasmata ad abdómen, hisque clysmata jungantur emollientia.

Frictiones autem, quæ vulgo adhiberi solent, ut eo citius se contrahat uterus, nocent, si uterus inflammatus fuerit, aut placenta nimium adcreta, vel si hæmorrhagia nascatur, ab inæquali contractione uteri ob spasmos; frictione enim spastici motus hic augentur, & hæmorrhagia ipsa inæquali contractione major redditur.

Monendum autem hic simul venit, obstetricatores plerosque recentiores etiam suadere,

re, ut grumi ſanguinis, ſub ipſo hæmorrhagiæ decurſu in utero nati, illico eximantur, quo ſic impedimentum contractionis ſufficientis, ipſius uteri e medio tollatur; aſt exemto ſanguinis grumo uterus non illico, ſed paullatim contrahitur, ita, ut interea temporis ſat magna adhuc ſanguinis liquidi copia e vagina prorumpat, & mors certo certius ſecutura ſit.

Evenit nonnunquam, ut puerpera ſyncopi, vomitu aut violentis convulſionibus non ſtipatæ, vitam ſuam debeat, quum hoc ſub temporis intervallo ſanguis aliquamdiu remoretur, in oſtiis apertis vaſorum coagulatus hæreat, ac uterus pro eo, ac vires ægre inſurgunt, denuo ſenſim contrahatur. Dum autem tales durante ſyncope vomitu corripiuntur, aut convulſionibus magnis, quod haud raro accidit, paullatim ad ultimam usque guttam ſanguis profluit, & mulierum res omnis conclamata habetur. Suadendum hinc omnibus eſt, ut ſanguinem coagulatum in utero relinquant, potiusque curent, ne amplior ſanguinis copia effluat, reliquus remaneat, viresque dejectæ juſculis nu-

nutrientibus, aut tinctura cinamomi ocyus restaurentur.

Grumo sanguinis in utero contento non solum pressione mechanica hæmorrhagia sistitur: sed & uterus ipse ad contractionem disponitur.

Adplicatio aquæ frigidæ ad abdomen, tum in ipsum uterum facta in hæmorrhagiis præcipue uterinis ceu unicum, & optimum celebratur remedium: his tamen non obstantibus, in omnibus illis casibus, ubi hæmorrhagiæ hujusmodi sanandæ obveniunt, experientia contra omnem theoriam docet, remedium hocce nunquam sufficiens fuisse, injectionem autem malos produxisse effectus. Injectio enim interna aquæ frigidæ, ut & Epithemata frigida hæmorrhagiam ad breve solum temporis intervallum sufflaminant, eo copiosius dein redituram; supervenientibus etiam motibus uteri ipsius spasmodicis: si autem injectiones fiunt grumis jam præsentibus, solvuntur hi, eluuntur, uteri cavum evacuatur, hæmorrhagia augetur.

Pro-

Proficuum hinc multo magis eſt, ſi *artuum ligaturæ* inſtituantur, grumi in uteri cavo relinquantur, & abdomen non intermiſſa opera *fricetur*, ſi tres ſupra nominatæ conditiones non adſunt, in quibus frictio nocet.

Terrorem violentum inter remedia adverſus hæmorrhagiam uteri actuoſiſſima locum mereri poſſe, atque præcipue ab hanc rationem aquam frigidam, ſi unquam juverit, juvare potuiſſe, ex ſequenti obſervatione fluit:

Obſtetricius expertiſſimus remediis omnibus incaſſum adhibitis adverſus hæmorrhagiam uteri partum mox excipientem, quum conclamata jam omnia ac puerperam letho proximam cerneret, humo imponi eam juſſit, & quin vel minimum quid illi antea indicaſſet, magnam aquæ frigidæ copiam uno impetu toti corpori adfundi; hoc facto uterus confeſtim ſe contraxit, & hæmorrhagia deſiit.

Compreſſione autem abdominis, aut firmiori ejus deligatione hæmorrhagias ejusmodi ſiſti etiam poſſe, caſus hicce docet.

Re-

Retulit mihi vir fide omnino dignus, qui rem quoque præsens spectaverat, chirurgum ruralem, quum nullum jam remedium haberet cognitum, dixisse marito mulieris, hæmorrhagia laborantis, ut hujus insideret abd mini, quod & optimo cum successu factum fuit. Incitamento nobis id esse poterit, ut tali in casu vel pondus quodpiam abdomini imponamus vel quod melius est, & post paracentesin abdominis, subinde fieri solet, illud fasciis arctius obducamus, ut scilicet restituta compressione, sanguinis in abdomen influxus præcaveatur.

In ruptura uteri manus statim immittenda utero, ac examinandum, an infans eidem adhuc inhæreat; an partim vel ex integro, in cavum abdominis lapsus. Si postremum, vel si eatenus per rupturam exiverit, ut reduci amplius nequeat, illico sectio Cæsarea fiat. Si autem pedes ambo in cavo uteri adhuc sint, denuo reducendus. Notandum simul, si brachia expansa sint, vel caput nimis magnum, inversionem uteri, ni cautela adhibeatur, fa-

cile



cile fieri poſſe. In his caſibus pes unus vinculo firmandus, manus immittenda utero, brachia lateribus capitis adponenda, ac, uti dum caput nimis magnum eſt, ruptura capiti ex adverſo tenenda. Si vero vulnus fœtum adeo amplectatur, ut hic in uterum reduci nequeat, in cavum abdominis expellendus, ac ſectio Cæſarea facienda. Ideo vero ſtatim expellendus, ut vulnus uteri ſeſe conſtringere ſine mora queat. Si placenta ſoluta nondum ſit, antea ſtatim ſolvenda.

In ruptura funiculi ſequentia conveniunt. Si funicutus nimis brevis, caput autem in apertura pelveos nondum firmatum, placenta primum ſolvenda, & ſi longitudo funiculi ſufficiat, eximenda ad vaginam, & tunc deligatio inſtituenda, fœtusque vertendus.

Si vero nimis brevis ſit, ut placenta ad vaginam extrahi non poſſit, ſolvenda quidem, ſed una cum fœtu ocyſſime eximenda. Suadent nonnulli, ut his in caſibus fundus uteri manu deprimatur, quo ſic cavum ejus reddatur

bre-

brevius, funisque laxetur; id autem raro possibile, rariusque scopo satisfacere videtur.

Si funiculus facto partu in medio abruptus, mali vix quid afferet, placenta solum confestim extrahenda. Si ex insertione sua in placentam eruptus idem faciendum; si ex umbilico infantis, vulneri fungus quercinus imponendus, ac tamdiu digito adprimendus, donec firmiter adhæreat.

Vas pecculiare in fune abruptum esse, pariter facto partu primum detegitur, cujus, etiamsi abrumpatur ex integro, sequelæ post partum, utero legitime contracto, mali nil adferunt.

Utero valde debili, atonia corporis magna stipato, & quasi paralytico, adversus uteri hæmorrhagias optimum remedium est *tinctura cinamomi;* (*) quæ autem cum essentia castorei jungitur,

 si

*) Plenks Bemerkung von dem Gebrauche der Zimmettinktur bey Blutstürzungen aus der Gebährmutter, in opere Cl. Mohrenheim. Wienerische Beyträge T. I, pag 406.

ſi hæmorrhagia a convulſionibus naſcatur, aut comites easdem adhuc habeat; videtur enim tinctura cinamomi inter omnia alia remedia reſtimulantia vires vitales omnium citiſſime reſarcire, nervos imprimis roborare, doteque ſpecifica in uterum agere: hinc ſi fluxus ſanguinis quocunque demum graviditatis menſe vel ante vel poſt partum, majorem corporis debilitatem procreat, ſine omni exceptione, in quovis caſu bono cum ſucceſſu illa uti poterimus; nam hac imprimis tinctura, fœminæ, ſanguine vix non omni jam privatæ, ad vitam denuo revocantur. Forma, qua exhibetur tinctura cinamomi, ſequens eſt:

R. tinct. cinamom. ℥jj. hujus ſummatur ab initio omni $\frac{1}{4}$ hor. cochlear, dein minuta hæmorrhagia minuatur doſis. Quodſi adſint ſimul convulſiones, addi poſſent eſſentiæ caſtorei gtt. XX. &c.

Sed reperire eſt nonnullas, quæ cinamomum peculiari horrore ferre nequeunt; aliæ autem ob ventriculi irritabilitatem ſingularem, tincturam

turam hanc vomitu denuo rejicere coguntur. Abſtinendum, ſi tales occurrant, illico erit ab ulteriori ejus uſu, ne emeſis præſentibus hæmorrhagiis periculoſa multum, magis augeatur.

Suadent nonnulli, ut placenta ſupra os uteri adcreta in medio perforetur; atque per oſtium hoc artificiale educatur: alii autem volunt, ut media pars placentæ ſolvatur, ac infans tum per os uteri dimidiam partem ſic reſeratum, eximatur. Primum fieri poteſt, dum placenta ori uteri firmiſſime adcrevit vel urgente valide deorſum fœtus capite orificio arcte adeo adprimitur, ut impoſſibile fiat, manum os uteri inter ac placentam immittere. Poſterior autem methodus uſu deſtituta, quin ſæpius noxia inſuper eſt; & inutilis, cum ſpatium in ore uteri dimidiam partem reddito libero, exiguum nimis ſit, ut fœtus per illud educi queat; imprimis dum placentæ pars ſoluta quoad ſui dimidium, ac reflexa ipſa fœtus detractione in os uteri denuo ſimul detrahitur. Incuneatus

tus hac ratione manet fœtus in ore uteri, atque hæmorrhagia nondum interrupta demum enecatur: quodsi vero vires nimium intendantur sub eductione, os uteri omnino dilaceratur. Securum itaque semper maxime est, ut placenta solvatur ex integro, & educatur; funiculus umbilicalis sine mora deligetur, ac infans extrahatur.

Oscitatio continua sub hæmorrhagiis uteri perseverantibus debilitatem nervorum ingentem denotat; hinc pro malo omine habenda.

Somnus his sub circumstantiis ceu noxius damnari quidem vix non in universum solet, atque omni cura adnituntur, ut puerperæ illi non obsecundent; cum debilitatem corporis inde augeri credant.

Sed observatum est in pluribus oppositum: utpote, si ægræ somno arceantur, præsente debilitate magna eas opprimente plane, spasmos & convulsiones nasci; dum tamen manifeste

ſte virium augmentum capiant, ſi ſomni quid nonnunquam illis concedatur.

Multum ægris his adfert commodi, ſi frequentius naribus admoveantur ſalia alcalia volatilia, ſp. C. C. ⊖x. Quotiescunque enim horum adtrahunt halitum, oculos vivide diducunt, atque roboris augmentum quoddam produnt: dum itaque hoc frequentius fit, ex integro iterum reſtituuntur, debilitate omni fere deperdita. Odor talis in hisce debilibus vivaciter & grate in totum corpus agit. Evitari hac ratione, niſi forte ſero nimis jamjam fuerit, animi poterunt deliquia, oſcitationes continuæ, ac vomituritiones.

Dum autem præſente hac debilitate juſculis nutrientibus, aliisve potibus ventriculus nimium oneratur, maximam partem vomitus inſequitur, qui tali hæmorrhagiæ ſuperveniens ſummum adferre poteſt periculum, dum concutiendo illam augeat.

Inter remedia hæmorrhagias uteri coercentia, adferendi omnino ſunt *peſſi* ſive *turundæ majores uterinæ*; eo ſcopo plerumque exhibitæ, ut ſanguinem in cavo uteri retineant; qui dein coagulatus grumis ſuis oſtia vaſorum obturat. Vero autem minus conſentanea multorum eſt ſententia, methodum ſane medendi vacuam ideo evadere, quod hæmorrhagiam excitet internam, continuo augendam, ac mortem demum producentem. Si quidem remediis ſtypticis vulgaribus tantum jam temporis deperditum fuerit, ut corpus ſanguine omni fere exhauſtum ſit, *Peſſi* auxilium ſane adferre non amplius poterunt, quum ultimæ ſanguinis guttæ in cavo uteri colligantur, coagulentur: ipſa interim ad finem jam perducta vita. Si vero omnium primo, ac ante reliquorum adhuc medicamentorum uſum adhibeantur, excepta ſolum uteri ruptura, egregie prodeerunt. Longitudine quidem uterus aliquantum increſcet, latitudo autem illius nunquam multum

tum augebitur: id vero non ſufficit, ut puerpera reddatur debilior, multo minus, ut incurrere queat periculum. Docuit hoc experientia tum in illis fœminis, in quarum cavo uteri ſponte ſua nati grumi, tum & in aliis, in quibus *peſſi* fuerunt immiſſi.

Peſſi itaque in hæmorrhagiis uteri ſtatim poſt partum, extracta jam placenta, ſub initium jam vocati in uſum, remedium conſtituunt unicum & certiſſimum. Veteres jam magno cum ſucceſſu adhibuerunt *peſſos* quosdam adſtringentes. Grates autem multas debemus *Cel. le Roux*, quod *rem hanc in egregio ſuo* libro *de Hæmorrhagiis uterinis* *) emendatam denuo revocaverit in memoriam. Utilitatem autem peſſorum inter plures alias ſequens confirmare poterit hiſtoria, cui & ego ipſe interfui.

 Pri-

*) Obſervat. ſur des pertes de ſang des femès en couches, & ſur le moyen de les guerir; par M. le *Roux*, maitre en chirurgie &c. dijon 1776.

Primipara 29 annorum in nosocomium practicum vienense suscepta, biduo ante partum amaritiam oris, vomiturítionem. sitim magnam, dolorem topicum urentem in utero questa, trigesima Octobris 1782. partu naturali, doloribus valde acutis stipato, liberata. Sequuta mox magna sanguinis copia; exemta placenta, aliunde jam soluta, facta major. Immissus statim pessus, aceto gravidus; quo hæmorrhagia prorsus sedata. Altera die exemtus Pessus secuta notabilis portio sanguinis coagulati. Fœmina cum sanitate in gratiam ex integro rediit, ac binis elapsis hebdomatibus nosocomio excessit. Quum autem sanitate laboraret minus vegeta, interea temporis solventibus, & eccoproticis uti debuit. *)

Ad-

*) Tum in nosocomio practico vienensi, tum & extra illud Cl. *Mohrenheim* hæmorrhagias vidit uterinas magnas, partum illico excipientes: imprimis autem eas orituras notavit, dum puerperae die partum præcedente vel nonnunquam extracta jam placenta, dolores querebantur violentos,

Adhuc quædam dicenda supersunt de *structura*, & *adplicatione* pessorum.

Pessi ex linteis confecti per modum Penis artificialis, longitudine pollices quinque excedentes, ac tam crassi, ut non sine vi quadam immittantur in vaginam, aceto prius impraegnati, eo introduntur, ut extremitas externa inter labia vulvæ hæreat, interna autem per os uteri multum in ipsius uteri promineat cavum. Sequenti, ut plurimum die & Pessus & grumi sanguinis ex utero extrahuntur.

Præter *Pessos deligationes* extremitatum tam superiorum, quam inferiorum, sed prope truncum factæ, magnum quoque præstant commodum.

Si

scindentes, lancinantes, partem quamdam uteri obsidentes: quæstæ quoque nonnullæ fuerunt simul amaritiem oris: dolores abdominales non remittentes; sensim magis auctos.

Si a ſpaſmis hæmorrhagia uteri orta fuerit, aut inæquali uteri contractione, antiſpaſmodica adminiſtranda.

Si *a ſaburra bilioſa*, ac ſanguine ſoluto hæmorrhagia oriatur, purgantia per epicraſin conveniunt, conveniunt & omnia ea, quæ in febre billioſa comendantur: ergo febre billioſa regnante, tempore potiſſimum æſtivo, emeticum propinatum princeps remedium eſt.


Si a ſaburra putrida, ac ſanguine ſoluto hæmorrhagia oriatur, non ſemper antiſeptica, ſed mox antiphlogiſtica, refrigerantia, mox eccoprotica mox antiſeptica adſtringentia indicantur: dantur enim quinque ſpecies febris putridæ: putrida inflammatorio ſaburralis, putrida ex degeneratione febris pituitoſæ, putrida ex degeneratione febris billioſæ, putrida purulenta a pure reſorbto, & demum putrida genuina, & pro diverſitate harum ſpecierum cura eſt diverſa.

Quum

Quum hæmorrhagia ſiſti nequeat, antequam fœtus capite in orificio pelveos fixus hærens, eductus fuerit ex utero, forceps autem, cujus ope id optime perficiatur, inter remedia hæmorrhagias ſiſtentia hoc reſpectu optime collocetur, pauca quædam circa ejus uſum, hic ſubjunxiſſe non oberit.

Forceps, ab obſtetricatore experto adminiſtrata, inſtrumentum adeo ſecurum eſt & utile, ut in omni ſitu capitis, ubi facies anteriora, poſteriora, dextrum, aut lævum os ilii reſpicit, ac ubi caput jam fixum ſatis inhæret aperturæ ſuperiori pelveos, jure merito præferri mereatur inſtrumentis omnibus aliis. Quod vero ſæpius jam forcipe cutis ab oſſibus capitis detracta, & hinc medelam omnem reſpuens caries producta fuerit, quodve facies contuſa, vel cranii oſſa introrſum preſſa, non quidem inſtrumento, ſed ignorantiæ, excuſationem nullam admittenti, ipſius obſtetricatoris vitio vertendum.

Quid-



Quidquid infanti per forcipem probe licet adplicatam, adversi contingere valet, contusione absolvitur leviori integumentorum, vel tumore inflammatorio minoris momenti: id vero rarius, atque non nisi tum accidit; quum vel forcipis ipsius mala est fabrica, quum non exacte, firmiterque claudit, aut plane incurvatur; vel quum caput fœtus prægrande fuerit, ac ossibus pelveos firmiter hæserit incuneatum.

Quod si fœtus fuerit sanissimus, contusiones minores nullam merentur attentionem, atque epithematibus herbarum aromaticarum, aquæ ac vini anaticæ dosi incoctarum, faciei negotio percurari denuo poterunt.

Dum vero humoribus instructus est acribus, corruptis, plerumque in suppurationem abeunt, ossiumque subjectorum producunt cariem; sed hæc ipsa nunc primum enascens, atque a chirurgo sedulo tractata, sanari valet.

F i n i s.